



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Ermilindae Abbatisae monasterij S. Mariae Aquilegiensis, ejúsque
sororibus tam praesentibus quàm futuris regularem vitam professis in
perpetuum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

nolebat, quamvis Compostellanus Archiepiscopus testes præfatos, non super possessione Zamoren. episcopatus, sed super sententia tantum diceret admit- tendos, super qua sola commissio à parte altera impetrata, & in receptione suorum testium de Zamoren. episcopatus possessione non fuerat in forma juramenti expressum aliquid, ut dicebat. Et quoniam dictus delegatus usque ad sententiam diffinitivam procedens, gesta omnia sub sigillo suo ad sedem apostolicam destinavit, prætaxatam sententiam tanquam canonicè latam confirmari à nobis Compostellanus Archiepiscopus requirebat, non obstante quòd contra commissionem de falsi suggestionem vel aliis fuerat intentatum, cum nec ante sententiam objectum fuerit, nec si veritas illa fuisset expressa, commissionem nullatenus impedisset: nec Bracaren. intrerit appellare, cum sibi per ea non fieret præjudicium quæ inter alios agebantur; sicut nec ultimam clausulam litterarum, quæ à forma communi & solita, non sensu, sed verbis tantummodo discrepabat. Nos ergo rationibus & allegationibus, attestationibus quoque ac instrumentis utriusque partis diligenter auditis & intellectis, visis, & cognitis, post longam discussionem & examinationem perfectam, de communi fratrum nostrorum consilio decernendo pronuntiamus, & pronuntiando decernimus, sententiam illam in nullo prorsus obistere tibi vel Ecclesiæ Bracaren. Nulli ergo &c. diffinitionis &c. Datum Laterani III. Nonas Julij.

MARTINO BRACAREN.
Archiepiscopo.

Epist. 106.
Concordiam
inter ipsum &
Compostella-
num Archie-
piscopum ini-
tam confirmat.

Sæpe contingit ex contentionibus litigantium, quòd in tantum se partes laboribus aggravant & expensis, ut non solum quæ vincitur, sed quæ vincit, tandem pœniteat litigasse. Nos ergo, qui solitudine pastoralis singulorum tenemur gravaminibus præcavere, ne præ multitudine ac magnitudine quæstionum quæ inter te ac venerabilem fratrem nostrum Compostellanum Archiepiscopum vertebantur, importabile vobis gravamen incumberet, super quæstione de usu crucis aliquandiu ventilata vos ad concordiam duximus invitandos: qui nostris acquiescentes consiliis, in huncmodum concorditer convenistis, ut

uterque per provinciam alterius universam, crucem ante se faciat sine contradictione deferri. Volentes igitur ut hæc forma concordie nostro mediante studio procurata inter vos & successores vestros inviolabiliter observetur, eam auctoritate sedis apostolicæ confirmamus, statuantes ut nulli omnino hominum &c. Datum Laterani II. Nonas Julij.

In eundem modum Petro Compostellano
Archiepiscopo.

PRÆPOSITO S. SEVERINI,
Decano, & L. Canonico majoris Ecclesiæ
in Euphardia.

Transmissam nobis dilecti filij H. magistri scholarum Wirseburgen. recepimus quæstionem, quòd Canonici sancti Iohannis contra Turonensis statuta Concilij stipendia quatuor Clericorum personis sexdecim assignarunt; ea conditione adjecta, ut quatuor tantum essent stipendio uno contenti, donec tot morentur quòd quilibet posset integrum beneficium obtinere, quod dilecti filij nostri P. tituli sanctæ Cæciliæ & Iohannes tituli sancti Stephani in Cœlio monte Presbyteri Cardinales, tunc in partibus illis legationis officium exercentes, sicut decuit, irritarunt. Iidem quoque Canonici præbendam unam Vu. & A. Clericis sub eo tenore dederunt, ut alter succederet proximò morienti. Cum itaque successorum editum à sanctuario Domini sit exclusum, nec illa sint in Clericis sustinenda quæ ipsæ quoque leges reprobant seculares, discretionis vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus præfatis donationibus & concessionibus, tanquam juri contrariis, penitus irritatis, præfatos Canonicos ad faciendam ordinationem canonicam & de personis idoneis monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis. Quod si omnes &c. duo &c. Datum Laterani V. Nonas Julij.

Epist. 107.
Sectiones be-
nificiorum &
successiones
vetantur.

ERMILINDÆ ABBATISSÆ
monasterij S. Mariæ Aquilegensis, ejus-
que sororibus tam præsentibus quàm fu-
turis regularem vitam professis in perpe-
tuum.

Pudentibus virginibus &c. usque
ad verbum vocabulis. Locum ipsum

Epist. 108.
De confirma-

nove privile-
giorum.

in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis. Præterea specialiter proventus decimarum de insula, tam olei, quam aliarum rerum omnium, quas illustris memoria Engelbertus Comes de Goriza à Tergestin. Ecclesia in feudum habuit, & in manibus bonæ recordationis Vlrici Patriarchæ tunc apostolicæ sedis Legati resignavit, sicut eas recolendæ memoriæ. . . . quondam Tergestinus Episcopus monasterio vestro rationabiliter contulit, & prædictus Aquilegensis Patriarcha confirmavit, & vos sine controversia possideris, nos denovo ad instar felicitis recordationis prædecessorum nostrorum Alexandri, Lucij, Urbani, & Celestini Romanorum Pontificum, secundum compositionem quæ facta est propter controversiam quæ inter bonæ recordationis Aldigerum Iustinopolitanum Episcopum & vestram Ecclesiam super præfatis decimis postea vertebatur, sicut ex utriusque partis consensu in præsentia felicitis memoriæ Goteфриdi Aquilegen. Patriarchæ terminatum esse ejusque scripto confirmatum fuisse dignoscitur, vobis & per vos monasterio vestro in perpetuum auctoritate apostolica confirmamus. Decernimus ergo &c. Salva sedis apostolicæ auctoritate, & diocesani Episcopi canonica iustitia. Siqua igitur &c. Datum Laterani per manum Rainaldi Acheruntini Archiepiscopi, Cancellarij vicem agentis, VIII. Idus Iulij, Indictione secunda, incarnationis dominicæ anno MCXCIX. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno secundo.

ABBATI ET CONVENTUI
S. Crucis de VValthan.

Epif. 109.
De confirma-
tione privile-
giorum.

I vestris petentium &c. usque ad verbum assensu, institutiones Ecclesiarum de Nefinges & de Netlesville factas vobis & concessas per Archidiaconum, cum sedes episcopalis vacaret, substituto Episcopo concessionem ipsius postmodum approbante, quæ utique Ecclesiæ in fundis vestris constructæ sunt, & in quibus patronatum antea habebatis, sicut eadem institutiones vobis iuste concessæ sunt, & vos ipsis hæcenus rationabiliter ac pacificè usi estis, salvo tamen jure canonico diocesani Episcopi, sicut hucusque solitus est habere, ad exemplar bonæ memoriæ C. Papæ prædecessoris

nostri auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti pagina communimus. Nulli ergo &c. Datum Laterani Nonis Iulij.

ABBATI ET FRATRIBVS
Ecclesie sanctæ Crucis de VValthan.

Licet ex injundæ nobis administrationis officio universas Ecclesias oculo debeamus benigniori respicere, & earum tranquillitati & paci studio intendere pietatis, circa provisionem tamen illarum quæ ad jus beati Petri nullo mediante pertinent, eò majorem diligentiam habere nos convenit, quò specialius ad nostrum regimen pertinere noscuntur. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & felicitis recordationis Clementis Papæ prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, Ecclesiam vestram, in qua divino mancipati estis obsequio, quæ beati Petri juris existit, sub ipsius & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti pagina communimus. In primis siquidem statuantes ut ordo canonicus, qui secundum Deum & beati Augustini regulam in eadem Ecclesia noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Statuimus autem ut quascunque possessiones, quæcunque bona, eadem Ecclesia in præsentiarum iuste & canonicè possidet, aut in futurum iustis modis præstante Domino poterit adipisci, vobis & Ecclesiæ vestræ firma & illibata permaneant. Statuentes insuper ut quicumque in ejus Ecclesiæ fuerit Abbatem electus, postquam munus benedictionis receperit, se non alienaturum bona ipsius Ecclesiæ juramento promittat, sicut tu, fili Abbas, fecisse dignosceris, cum à bonæ memoriæ Lucio Papa prædecessore nostro benedictionis gratiam recepisti. Sanè cum possessionum vestrarum Ecclesiæ, quarum vobis præsentatio comperit, decedente pastore vacaverint, vos Presbyteros, qui in eis ministrant, diocesano Episcopo præsentatis, qui ei in spiritualibus, vobis autem in temporalibus debeant respondere. Interdicimus insuper & auctoritate apostolica prohibemus ne aliquis in Ecclesias vestras indebitas exactiones vel gravamina contra statuta Rom. Pontificum, & præcipuè Lateran. Concilij, exercere præsumat. Cum verò generale interdictum

Epif. 110.
De eadem re.

III. 110
Epif. 110
De eadem re.